

Citatio facta Actis inferatur. Si autem Reus est ab-

486 Postquam A. R. P. Provincialis acta jam completa prius à se bene perpensa AA. RR. & RR. Patribus de Diffinitorio communicavit, & quavis eorum consideratis considerandis ac probe cognitis meritis causa votum suum de Sententia ferenda manifestavit, idem decrevit, prout presentis Decreto decernit, ut citentur Fr. Titius N. Accusator, & Fr. Mevius Reus, illiusque Advocatus ad audiendam Sententiam die Mensis ferendam, & promulgandam in Conventu nostro N. Et quoniam citandi ita absentes distant, ut ad locum ferendae Sententiae personaliter venire ob certas causas commode non possint, decrevit idem A. R. P. Provincialis eisdem Sententiam, postquam lata fuerit, & promulgata in praefato Conventu N. publicare per P. N. per quem etiam eosdem in praesentia duorum Testium nunc citari vult ad audiendam Sententiam. Adha sunt haec Die. &c.

Notandum, non esse necesse, ut Reus, vel Actor sint praesentes in loco, ubi fertur Sententia, dummodo eis postea promulgetur; si tamen iam existunt in Monasterio, ubi fertur, omnino convenit, ut personaliter intersint, dum fertur, & promulgetur Sententia.

Postquam Citatio est facta, fit relatio illius, & inferitur Actis.

Amo. Mens. Die. missa in Scriptis fuit relatio Citationis factae, sequentis tenoris. Nos infra scripti referimus, quod per P. N. Nominem A. R. P. Provincialis ad audiendam Sententiam definitivam die ferendam citati fuerint Fr. Titius N. Accusator, & Fr. Mevius N. eiusque Patronus Fr. Justinianus N. In quorum fidem &c.

Ego Fr. N. citavi. Ego Fr. N. interfui. Ego Fr. N. fui praesens. Ego Fr. N. Actuarius.

Si post factam citationem Accusator, vel Reus adhuc aliquid proponit, debet illud Iudex bene perpendere, & prout equum videtur, admittere, vel rejicere, & Sententiam die determinatè ferre.

487 Porro circa Sententiam ferendam plura observanda habet Iudex. Primo, quod ferri debeat juxta causae merita ex Actis habita, & consequenter debet esse absolutoria, si Reus inventus innocens; vel condemnatoria, si reperitur nocens; vel partim condemnatoria, partim absolutoria, si quoad aliqua nocens, ad aliqua innocens dignoscitur.

488 Secundo. Nullus condemnari potest ad poenam ordinariam, nisi ex Actis appareat confessus vel convictus, vel utrumque.

Tertio. Potest aliquis condemnari ad poenam ordinariam, etiam si non sit confessus, dummodo plene & rite convictus, v. g. per duos Testes omni exceptione majores, vel alia media plenam probationem facientia.

489 Quarto. Quando Reus confessus, vel convictus est, debet necessario condemnari ad omnem, & solam poenitentiam ordinariam, id est, à SS. Cano-

nibus & Constitutionibus Ordinis sancitam, nisi causa aliqua minuendi, vel augendi poenam ordinariam addit, quae causa necessario exprimi debet in Sententia, si ob eam poena ordinaria augetur, vel minuitur. Nec enim potest Iudex Regularis dispensare in Lege communi, neque in Statutis Ordinis, prout circa poenas Practica nostra Criminalis expressè ordinat. Tit. VI. Applicatio poenarum, §. fin. ibi: Et licet poenas has per Statuta Generalia impositas Iudex commutare, alterare, & moderare regulariter non possit, tamen in aliquo casu mutatis circumstantiis, & qualitatibus, cum consilio Patrum, qui ad ferendam Sententiam concurrunt, poterit augere, vel minere lenitate, vel rigorem poenarum, prout excessus, & defectus criminis, sive scandalum, aut peccandi fragilitas, & consuetudo saepe. Item persona, locus, modus, & alia hujusmodi. Nullum tamen ei relinquatur arbitrium circa moderationem poenarum, ubi delicta, prout recensita sunt, committi contigerit.

Quinto, licet Reus, qui nec confessus, nec convictus est, ad poenam ordinariam condemnari nequeat, potest tamen condemnari ad extraordinariam minorem ordinariam, si Reus graviter indicatus existit, praesertim, si plus quam semiplena probatio contra ipsum adest; nisi se per Torturam purgaverit.

Sexto. Si Reus Torturam negando sustinet super illo, super quo tantum semiplene, vel plus quam semiplene probatio habetur, nulla nec extraordinaria poena ob id amplius puniri valet.

Septimo. Antequam feratur Sententia, de substantia requiritur, ut citetur Reus juxta dicta n. 484.

Octavo. Si ex Processu Reus ita reperitur innocens, ut nec semiplena probatio contra ipsum existat, absolvi, & Accusator ad poenas calumniae (apud nos etiam Talionis) condemnari, prius tamen citari, & audiri debet juxta dicta n. 483.

Nono. Debet Sententia in Scriptis ferri, & legi, id est, debet prius Scriptis mandari, & dein ex Scriptura legi.

Decimo. Si Reus est abfens, debet eidem etiam in praesentia Testium in faciem legi Sententia, & legendo promulgari.

Undecimo. Apud nos necessario requiritur, ut feratur cum consilio & consensu V. Diffinitorii; & quidem in praesentia V. Diffinitorii, vel saltem majoris partis, utpote conjudicis actu congregati; ut habet textus in Pract. Crimin. Tit. Sententia, §. 4. & ibi Ludovicus de Ameno num. 32. Item debet esse subscripta manu Judicis, & Diffinitorii: ac promulgari publice in Refectorio, aut saltem Diffinitorio, & post factam promulgationem subscribi à Testibus ad id rogatis, ut testentur de promulgatione facta.

Duodecimo. Convenit, ut Sententia etiam promulgetur in locis delicti (non tamen extra Ordinem) ut ubi factum delictum, factum etiam poena; & in loco, ubi puniatur Reus, quatenus appareat, quare ita puniatur.

Decimotertio. In Sententia debet Iudex recensere delicta per extensum, ut ex illis Delinquens, & equitas poenae cognosci, ceteri autem à similibus delictis abstinere valeant.

Decimoquarto. Si Reus poenae statutarie capax non est, mutanda est in aequalem aliam. Ut autem in praxi res appareat, datur hic Sententia pro casu nostro hactenus ventilato.

In Nominem Domini Amen.

Hac est Sententia definitiva, in causa Criminali lata contra Fr. Mevium N. accusatum (vel jucialiter denuntiatum, aut ex officio inquisitum) prout in Processu.

In Nominem Sanctissimae & Individuae Trinitatis, ac beatissimae V. Mariae Aven. Christi JESU Sacratissimo Nominem invocato, Nos Fr. N. Minister Provincialis &c. ac Iudex Ordinarius, vixi, ac diligenter consideratis omnibus & singulis in causa & causis, coram Nobis (si Iudex delegatus formavit Processum, dicatur loco Nobis, coram Iudice nostro delegato Fr. NN. &c.) actis de, & super (recaletur delicta v. g. in casu nostro) Furti sacrilegi, gravi vulneratione, & violenta iniuria carcerum effractione, de quibus Fr. Mevius fuerat accusatus; naturae quoque consideratis Testium Depositionibus, indicis, & probationibus, contra praefatum Fr. Mevium militantiibus; ipso etiam Reo citato, & interrogato, ac sufficienter audito, vixi tandem omnibus viduas, & consideratis considerandis, habito insuper consilio, & assensu V. Diffinitorii; Deum solum pre oculis habentes, ut de illius vultu iudicium nostrum prodeat.

Christi JESU Salvatoris nostri Nominem repetito, & invocato, per hanc nostram definitivam Sententiam, quam in scriptis ferimus, dicimus, declaramus, pronuntiamus, & sententiamus, Fr. Mevium N. esse convictum, & ex parte convictum de criminibus, de quibus fuit accusatus, & processus, videlicet primo, quod sacrilege furatus sit Monachia pretiosa & flatua B. V. Mariae in Capella N. pendencia, Secundo, quod eidem sacrilege furatus sit duos calices & Sacristia. Tertio, quod violentè ac iniuste effregit carceres. Quarto, quod graviter percussit pro custode carceris deputatum Fr. Justum, dum fugientem ex officio apprehendit, & detinere voluit. Et quia memoratus Reus praefata crimina furti & vulnerationis saltem, in pluribus constitutis multoiosissime negavit, perjuriam saepius commisit, ac deliberatè rependo, ac non nisi post adhibitam Torturam, consequenter non tam libere, quam in more poenarum adactus delicta confessus est, cum impie nulla remissione dignum ad poenam ordinariam, juxta Ordinis Constitutiones condemnamus. Et quia ob repetita sacrilegia, pessimeque qualitate, facta de de Jure Civili mortem, consequenter apud Regulares perpetuos carceres promeritus est, ad dictos perpetuos carceres una cum omni effectu eorum illum ob praefata furti condemnamus. Ob iniustam, & violentam carcerum effractionem, licet eidem poena de Jure Civili subiaceret; quia tamen illam ex prioribus delictis impositam jam habet, commutantes eam condemnamus ad jejuniium in pane & aqua ter in Septimana per 10. annos sustinendum. Ob gravem vulnerationem declaramus ipsam excommunicatum, & loco carceris ejusque effectum, memoratum jejuniium ad alios tres annos condemnando extendimus. Volentes insuper, ut etiam in reliquis diebus, communibus Fratrum alimentis privatus, non nisi parca, ac frugaliter pascatur. Atque hoc, & omni meliori modo Sententia isthae lata, lecta, & publicata fuit Die. Mensis. Anno. in Conventu N.

Ita pronuntiamus pro Tribunali Sedentes.

Fit subscriptio Judicis, & eorum, quorum de jure, statuto, aut consuetudine, apud nos fit, ut sequitur.

Fr. N. Diffinitor. Fr. N. Diffinitor. Fr. N. Diffinitor. Fr. N. Provincialis Custos. Fr. N. Minister Provincialis. Fr. N. Actuarius.

Fr. N. Testis rogatus Promulgationi interfui. Fr. N. Testis rogatus etiam interfui.

Reifenstuel Jus Can. Tom. V.

Ita mutatis mutandis fertur Sententia etiam in aliis, quorum Formulas absolutorias, partim condemnatorias, item partim absolutorias, qui cupit habere, invenit apud Ludovicum de Ameno in Formul. Criminal. Sect. VIII. & Passerinum in Praxi Consularum Judicialium, & alios.

Si Iudex delegatus usque ad Sententiam definitivam inclusive procedit, & fert ipse sententiam (prout saepe fieri debere inuadet Ludovicus de Ameno) dum eam fert, necessario praesens est, ac praesidet, utpote tunc loco A. R. P. Provincialis, aut alterius Judicis Ordinarii, existens & tanquam verus Iudex Jurisdictionem in loco Judicis exercens, consequenter omnes alios praecedens per dicta n. 343. & 496.

De Appellatione, & aliis observandis post Sententiam.

SUMMARIUM.

502 Sententiae executio debet per decem dies differri ad videndum, an, & qualiter Reus appellet.

503 Si Appellatio est manifestè frivola, rejicitur. Appellatio frivola quae? Ibid.

504 Appellatio dubia, vel non manifestè frivola debet admitti.

505 Quomodo Appellatio fieri possit, ac debeat?

506 Potest quis pro Reo, sive praesente, sive absente appellare.

507 Ad quem, & quo ordine appellari debeat?

508 Quid debeat facere Iudex a Quo, dum eidem Appellatio insinuat?

509 Frivole appellanti potest Iudex dare Apostolos resutatos: & quales?

510 Rite appellanti debent dari Apostoli dimissoriales, vel reverentiales, una cum sigillata Copia Actorum.

Expedit subinde, ut Copia Actorum non detur Reo appellanti, nec sicut transmittatur. Ibid.

511 Appellatio potest etiam fieri coram honestis viris, vel per Edictum.

512 Appellatio facta, etiam debito tempore introducta debet, aliàs censetur deserta.

513 Sicut à definitiva, sic etiam interlocutoria appellari potest, & quando?

514 Et interposita quid facere debeat Iudex à Quo?

515 Pana per Sententiam imposita, an, à quo, & quando possit vitari?

Post latam, & publicatam Sententiam attendi debet, an non, qualiter, & quando Reus, vel Patronus ejus appellet.

Si Reus expressè dicat, quod Sententiam accepit, vel ei se submittat, consequenter appellare nolit, statim fieri potest executio Sententiae. Si tacet, & nil dicit, nec aliàs manifestat, quod appellare nollit, executio Sententiae differri debet, donec decem dies elabuntur, intra quos, si non appellat Reus, transit Sententia in rem judicatam, & fit executio. Quod si Reus est suspectus de fuga, potest & debet etiam intra decendum custodire causam carcerari.

Si audita Sententia statim, vel saltem intra decimum appellat, videndum, an Appellatio sit legitima, vel frivola, seu frustratoria. Si non legitima, sed illegitima, utpote in Jure prohibita vel frivola manifestè appareat, non attenditur; sed ea non obstante ad executionem proceditur.

Appellationes frivolarum, & à Jure prohibitarum alias censentur. 1. Appellatio à Sententia contra delicta

delicta notorie commiffa. 2. Appellatio Rei confefsi, & convicti. 3. Appellatio Rei condemnati ex eo, quod contra ius fuerit in comparando, vel respondendo, nisi prius purgaverit moram. 4. Appellatio a Sententia Judicis arbitri, in quem appellans prius confenserat. 5. Appellatio post fatalia, decem nempe dies a lata & infirmata Sententia, interposita. 6. Appellatio contra Jus clarum, id est, Sententiam vel Decretum, quod Judex juxta clarum Juris textum fecit. 7. Appellatio interposita, postquam Reus Sententiam jam acceptavit, de quibus amplius vide Lib. II. Tit. XXVIII. §. XI. & XII. ac Practicam Crim. Tit. Canon. circa recursum, §. XI. & ibi Ludovicum de Ameno.

504 Si vero Appellatio legitima, vel faltem dubia, aut non manifeste frivola est, eam admittere, & Appellanti Apostolos concedere Judex debet.

505 Qui vult appellare a Sententia definitiva, potest id facere vel statim in continenti, seu stante pede, postquam audivit Sententiam, vel post interval- lum, dummodo intra decem dies faciat, & Apostolos debite petat. Er si in continenti appellat, eam ore tenus proponere potest. Nec est necesse, quod causam Appellationis assignet, sed sufficit, quod Appellationem infinuet, & Apostolos petat; potest tamen, si vult addere causam in genere, dicendo, se esse gravatum v. g. Quandoquidem per Sententiam hanc inveniam me gravatum, ideo ab eadem appello, & peto Apostolos instanter, instantissime.

506 Porro, quamvis Appellatio a Definitiva valida sit, si coram Judice, vel solo Actuarius fiat, tamen bene facit Appellans, si in presentia testium eam faciat, faltem dum dubitat de integritate Judicis, vel Actuaris, an Appellationem factam actis inferant.

507 Eodem modo, quo ipse Reus potest appellare, potest etiam Patronus ejus, imo quivis alius extraneus, sive amicus, vel consanguineus Rei sit, sive non, pro illo appellare, sive dein Reus absens sit, vel presens taceat; & hoc contingere potest, si Reus simplex rem non intelligens tacet, bonus autem amicus injuriam ei fieri cernit, & propterea pro illo appellat.

508 Debet autem appellans observare debitum ordinem, qui est, ut fiat Appellatio ad proximum Superiorem illius, a quo appellat. Item a Delegato ad Delegantem, a Subdelegato autem non ad Subdelegantem, sed ad primum delegantem, nisi delegatus quis fuisset ad universitatem causarum. In Ordine nostro fit a Provinciali ad Generalem Superiorem, ab hoc ad Protectorem, a Protectore ad S. Congregationem, & ab hac ad Papam: quo Ordine non servato non auditur, sed punitur, prout habet Practica nostra Crim. Tit. Canon. §. IV. Porro, si horum aliquis causam alteri delegat, fit Appellatio etiam a Delegato ad Delegantem, ad Provinciale v. g. si hic delegavit aliquam causam.

509 Facta Appellatione Judex non statim resolvit, an Appellationem rejicere, vel acceptare, item an, & quales Apostolos impertiri velit, sed dicit, se facturum ea, que juris sunt. Dicta hactenus patent in casu nostro.

Anno. Die. Mense comparet Fr. Justinianus N. Patronus Fr. Mevii, & dicit, quod cum per Sententiam definitivam die. &c. latam a dictis Fr. Mevius multum gravatus existat, contra eandem omni cum humilitate & reverentia, salvoque respectu A. R. P. Judicis a Quo, in presentia testium secum assumptorum appelles, & Apostolos instanter, instantissime petas.

Fr. Justinianus N. Patronus.

Supra posita Appellatio infirmata & presentata suis Die. Mensis. Anno. loco. qua percepta respondit A. R. P. Provincialis se praestitutum ea, que Juris esse judicaverit. In quorum fidem &c.

Ego Fr. Justinianus appello, & peto, ut supra.

Ego Fr. N. Testis fui presens.

Ego Fr. N. Testis interfui.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.

Ego Fr. N. Actuarius.

Eadem adhuc die A. R. P. Provinciali consideratis considerandis invenit, Appellationem esse manifeste frivolum, & a Jure prohibitam, utpote a Confesso factam: quapropter eandem ut talem rejiciendam, illaque non obstante ad executionem Sententia procedere decrevit, prout de facto decernit.

Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Actuarius.

Decretum rejectæ Appellationis debet indicari Reo, si acquiescit, res est salva, & sit executio Sententia: si denuo etiam a Decreto hoc appellat, vel Appellationi priori inheret, potest Judex ei dare Apostolos refutatorios, quos etiam statim una Decreto rejectæ Appellationis dare potest, assignando causam Appellationis v. g.

Cum memoratum Decretum Reo intimarem, denuo etiam a presenti Decreto appellavi, ac iterum Apostolos instanter, instantissime petivi, A. R. P. Provincialis vero eam sursum rejectit, simul tamen decrevit eidem Apostolos refutatorios concedere. Die. Mensis. Anno.

Ego Fr. N. Actuarius.

Apostoli refutatorii (qui aliud non sunt, quam litteræ, quibus Judex a quo testatur Reum appellasse quidem, Appellationem vero a se esse rejectam ex causa, quam necessario apponere debet) sequenti vel simili modo fieri.

Apostoli refutatorii.

Reverendissimo in Christo P. NN. totius Ordinis N. Generali, Nos Fr. NN. Provincialis omni, qua decet, reverentia tenore presentiam notum facimus, & significamus, quod postquam in causa sacrilegi facti, violente ejectionis carceris, & gravis vulnerationis, de quibus apud nos accusatus fuerat Fr. Mevius, contra illum Sententiam infirmus, ille appellaverit quidem, & Apostolos petierit; nos vero eandem Appellationem tanquam aperte frivolum, utpote a liberè confesso factam speciali Decreto rejecerimus. Verum quia Reus ab hoc Decreto rejectionis denuo appellavit, vel appellationi sue insistit, & Apostolos de novo petiit, nos Decreto priori inherentes, eidem Apostolos non nisi refutatorios hosce impertimus, Sententiam non obstante hac manifeste frivola Appellatione, prout Juris executuri, & Reum sub jurisdictione nostra conservaturi. Dat. Die. Mense. Anno. loco &c.

Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Actuarius.

Quod si Judex Appellationi desert, prout tenetur, si legitima, vel dubia, vel faltem si non aperte frivola erit, debet Appellanti dare Apostolos Reverentiales, vel Dimissoriales, quibus testatur, quod quamvis Appellatio Rei merito rejici debet.

ret, ex reverentia tamen Judicis ad quem eidem deferat, & hinc notum faciat, quod Reus appellaverit, eique detulerit Judex, propterea illum cum sigillata Copia Actorum dimitat ad Judicem ad quem; nisi expediat Copiam Actorum alia via transmittere Judex ad quem.

Notandum hic, quod si Judex ad quem longe distet, expedit, ut Reus in persona non dimitatur ad Judicem ad quem, sed prius scribatur eidem, & rogetur, quatenus Judicem delegatum destinare vel indicare dignetur, quid habere velit; interea Reus, si est suspectus de fuga, custodie causa detineatur in carcere: si non est suspectus, conferretur in suo Monasterio. Constitit voluntate Judicis ad quem, eidem Judex a quo se accommodet.

Si Reus suspectus de fuga domi retinetur, potest ipse Judex per se, vel per alium Copiam Actorum sigillatam transmittere ad Judicem ad quem, si ipse velit causam assumere, vel Judici delegato consignare, si alicui causa delegatur. Consultissimum autem videtur, ut donec de voluntate Judicis ad quem constat, ob periculum perditionis, & confusions Acta ad illum, si longe distans v. g. Romæ existit, non transmittantur.

511 Ulterius notandum, quod in casu, quo Reus appellare volens, non potest habere presentiam Judicis, vel eam timeat, possit a Sententia contra se lata appellare coram honestis viris, qui eidem dant Apostolos Testimoniales, id est, litteras, quibus testantur, Reum coram ipse appellasse: vel si viros, qui eidem attestari nollent, non inveniret, posset per Edictum appellare assignando in publico aliquo Monasterii loco Appellationem suam. Formulam, qui vult, habet apud Ludovicum de Ameno in Formul. Criminal. Sect. IX. n. 4.

512 Facta Appellatione tenetur Reus infra sex Menses introducere, & prosequi suam appellationem, nisi eidem brevior terminus a Judice præfigatur, prout fieri potest, & solet: quod si intra terminum a jure, vel Judice præfixum appellationem non introducat apud Judicem ad quem, & eam prosequatur, censetur appellatio delerta, & proceditur ad executionem Sententia.

513 Porro sicut juxta hæc tenus dicta potest Reus appellare a Sententia definitiva, ita etiam appellare potest ab interlocutoria, durante Processu, lata, seu a Decreto aliquo, v. g. a Decreto de notorietate delicti, a Decreto non admitti, sed indubitè rejecti, aut correcti unius vel plurium interrogatoriorum, vel Articulorum a Reo portectorum, a denegata excludente Diffinitoria, Adessoris, Actuaris, a Decreto rejiciendi reculationem Judicis &c. a Decreto carcerationis, a Decreto Torturae &c.

Notanda tamen notabilis differentia inter appellationem a Definitiva, & eam, que fit ab interlocutoria. Videlicet, quod in illa non teneatur appellans allegare causam Appellationis, bene vero in ista. Item, quod Appellatio, que fit a Definitiva possit fieri ore tenus, si in continenti interponitur: ab interlocutoria vero debet fieri in scriptis, loquendo de Jure. Item quod Appellans ab interlocutoria non possit alias Appellationis causas allegare coram Judice ad quem, quam allegavit in ipsa Appellatione coram Judice a quo infirmata: fecus est in Appellatione a Definitiva.

514 Appellatione ab interlocutoria, facta, Judex a quo considerat Appellationis causam: quam si aperte invenit frivolum, vel falsam, Appellationem ipse rejicit, & pergit in causa, sicut supra n. 503. diximus de Appellatione a Definitiva: Si causa est legitima, vel dubia, vel faltem non aperte frivola, aut falsa, ei deferre tenetur.

Reiffstuel Jus Cau. Tom. V.

Illud etiam hic observandum, quod Judex a quo tam Sententiam definitivam non amplius mutare, nec poenam in ea taxatam augere, vel minuire possit, nisi habeat appositam clausulam. Reservata V. Diffinitorio potestate, poena potest tempus &c. minuendi, si Reus interea specialia supplicia, & emendationis signa dederit, quam clausulam tubinde apponendam suadet Ludovicus de Ameno Tit. Sententia. q. 8. num. 142. & 143. ubi etiam addit, quod si alius apud nos A. R. P. Minister Provincialis, vel V. Diffinitorium vellet minuire poenas, deberet recurrere ad Generalem.

De Observandis a Judice ad quem appellatur.

S U M M A R I U M.

516 Quid debeat facere Judex ad quem in casu Appellationis ab interlocutoria.

517 Cognita frivola, aut mala Appellatione remittitur Reus ad Judicem a quo.

518 Cognita vero legitima Appellatione, prosequitur Judex ad quem, causam.

519 Quid facere debeat Judex in casu Appellationis a Definitiva?

520 Si constat, Judicem malitiose, ac dolose, ac non servato Juris ordine judicasse, punitur: Est quomodo?

521 Debet tamen prius etiam audiri Judex a quo, & eidem communicari Appellatio apud Judicem ad quem introdunda; Et num. proced. ac seq.

522 Praxis introducendi Appellationem, eam communicandi Judici a quo, hujusque responsionis, ac informationis, nec non procedendi, & sententiandi per Judicem ad quem, usque ad num. 532.

532 Praxis petendi revisionem, & collationem Actorum, ubi est suspicio, an non sint vitiosa.

533 Finis Processus contra Fr. Mevium.

Quamvis hæc tenus breviter & compendiosè tantum adduxerimus, que pro praxi formandi Processum serviunt, tamen in hoc Sub §. adhuc breviores erimus, quia totam hanc praxin solummodo scribimus pro minus peritis, vel expertis in Jure, & re Criminali: non item pro doctis, & expertis quales supponuntur Superiores Majores, Generales, & Provinciales, quos tangit hæc Rubrica. Hinc potius per modum recollectionis, quam intructionis pauca sequentia subiungimus.

Itaque in memoriam revocandum: quando Judex ad quem, v. g. A. R. P. Provincialis Reus aliquis presentat appellationem ab ejus Delegato, debet Judex ad quem ante omnia videre, an sit ab interlocutoria, vel definitiva: si est ab interlocutoria; puta, Decreto aliquo durante Processu, per Delegatum facta, debet iterum videre, an materia vel Articulus circa quem appellat; sit appellabilis, an nempe ab interlocutoria contineat gravamen per definitivam non amplius reparabile; vel habeat vim Sententia definitiva; & si materia non est una ex his, consequenter non appellabilis, Appellatio rejici, & Appellans ad Judicem a quo remitti debet.

Dein debet considerare, an, & qualis allegata sit causa Appellationis, & si videt, quod sit causa notorie frivola, vel falsa, pariter Appellatio illius rejicienda, & Appellans ad Judicem a quo remittendus est. Si vero causa est rationabilis, vel dubia, aut faltem non evidenter frivola, vel falsa

Appellatio admittenda, & judicialiter examinanda est.

Et quidem, si causa in facto consistit, per Testes, & alia probationis media per Appellatorem producenda probari, ac propterea Notarius pro Actuario serviens deari, & Processus institui debet.

Si vero Appellationis causa dependet a puncto Juris, Reus loco Tertium Jura allegare debet, quæ si Reus ignorat, debet Judex ad quem petenti concedere Patronum.

517 Examinata rite causa citat Appellatorem ad dicendum, an aliud adhuc habeat ad probandum causam, & postea cum consilio & consensu V. Diffinitorii (apud nos) Sententiam super validitate Appellationis ferre; ac si invalida agnoscat, debet Reus remitti ad Judicem a quo una cum Sententia, & toto Appellationis Processu, qui dein inferitur Actis prioris Processus.

518 Si valida agnoscat Appellatio, causa terminari debet apud Judicem ad quem servato Juris ordine hactenus recentito. Cæterum qualiter fieri debeat Processus Appellationis ab interlocutoria, habes amplius apud Ludovicum de Ameno in Formul. Criminal. Sect. IX. a n. XVII.

519 Quod si vero Appellatio fiat a Definitiva, debet etiam ante omnia videre, an, & quales Apostolos habeat Appellans: dein, an statim & absque lustratione Actorum ex ipsa Appellatione pateat, Appellationem esse manifeste frivolam, & unam ex illis, de quibus supra n. 503. Si sic, tunc statim etiam absque Actorum lustratione per Sententiam cum consensu, & consilio V. Diffinitorii rejicere Appellationem, & (apud nos) Appellatorem ad duplicem poenam condemnare debet. Si vero Appellatio manifeste frivola non appareat, lustrare Acta, & ex eis videre debet, an Judex male, vel bene judicaverit, Processumque rite formaverit; si sic, rursus cum consensu & consilio V. Diffinitorii fert Sententiam, quod bene judicatum, & male fuerit appellatum; & apud nos duplicem Reo poenam: si vero invenit male judicasse, fert e contra Sententiam, quod male judicatum, & bene appellatum fuit, absolvitque Reum vel ex toto, vel ex parte, juxta merita cause: Censetur autem omnis illa sententia etiam injusta, quæ ex Actis justificari nequit.

520 Si ex Actis patet, aut Reus appellans demonstrat, quod Judex non tantum male judicaverit, vel debitum Juris ordinem non servaverit, sed id etiam dolose, vel malitiose fecerit, debet Judex a quo per Judicem ad quem subijci poenis contra Judices male judicantes, vel Juris ordinem non servantes lris; ut habet textus nostra Practic. Criminal. Tit. Sententia §. III. & ibi Ludovicus de Ameno num. 23. & seqq. qui ad finem merito subjungit, quod Judex male judicans puniri non debeat, nisi prius audiat: legatur super hoc loc. cit.

521 Imò ante Sententiam Judex ad quem ordinariè audire debet Judicem a quo, & admittere ad impugnamdam Appellationem, & manutendam Sententiam a se latam; sicut etiam ad manutendam suam Jurisdictionem, casu quo ipse recusat ut Judex, prout amplius demonstrat Ludovicus de Ameno Tit. Canon. a n. 122.

522 Hinc laudanda, & merito ubique imitanda videtur praxis & consuetudo Juri conformis in pluribus Germaniæ partibus vigens: Vi cuius Judex ad quem porrecta & introducta apud se Appellatione habente Apostolos dimissoriales, vel reverentiales, consequenter per Judicem a quo admittit, eam unâ cum causis illius, & aliis a Reo deductis, in Copia, vel Originali communicat Judici a quo,

eique mandat, ut desuper respondeat, & necessariam informationem cum Actis transmittat, v. g. Si reus ita introducit Appellationem.

Reverendissime Pater &c. Ex acclusis Apostolis patet, quod legitime appellaverim a Sententia per NN. contra me lata juxta Copiam adjacentem; quia vero per memoratam Sententiam plurimum gravatus exiit: Cum primò &c. ponit causas & fundamenta sua ex Actis, rationibus, de Jure; ac denique concludit: Ex quibus omnibus abundè patet, quod per Sententiam Judicis a quo plurimum & immeritè gravatus existam &c. Quia propter ad Reverendissimam Paternitatem justissimum Judicem plenâ fiducia recorro humillimè rogans, ut &c.

Reverendissimæ Paternitatis.

Fr. NN.

Appellatio inquam ita introducta, à Judice ad quem communicat Judici a quo postquam prius creato, vel jam ex stante assumpto Notario publico pro Actuario, per eundem incepit conscribere Processum apud se per Appellationis introductionem inchoatum, eo fere modo, quo Judex primè instantie facit juxta supra à num. 344. mutatis mutandis. Communicatio autem fieri potest taliter.

Reverende Pater &c. Ex acclusis videbit, quales &c. Reverentiam lata appellaverit Fr. N. Quapropter precipimus, ut desuper respondeat, & debitam informationem in hac causa, unâ cum Actis nobis transmittat.

R. Paternit.

NN.

Recepto hujusmodi Mandato Judex a quo unâ cum actis suam transmittit Responsum & informationem (germanicè Appellations-Verriche) in qua allegatis causis, rationibus, & Juris Sententiam a se latam justificare, & Appellationem, ejusque causas refutare conatur, v. g.

Reverendissime Pater &c.

Mandatum Rever. Paternitatis sua unâ cum acclusis rite habui: cui omni, quæ per est, reverentiam obsecratur humillimè respondeo, & partim ex Actis (quæ juxta mandatum hic acclusa sequuntur) partim ex Jure, partim ex rationibus deduco, Sententiam a me latam iustitiam esse conformem.

Et quidem primò hic deducit sua Jura, & rationes, deinde refutat causas Appellationis v. g.

Nec obstant quæ in contrarium adducit Appellans; Nam &c. Dein concludit: Quibus omnibus consideratis, judico (salvo prudentissimo Reverendissimæ Paternitatis judicio) me bene judicasse, Reum vero male appellasse. Hinc pro sententia confirmatione humillimè rogo, & me demissimè commendo. Die. Mensis. Anno. &c.

Reverendissimæ Paternitatis.

Fr. NN.

Infimus.

Acceptis responsum & informatione Judicis a quo, Actisque primæ instantiæ Judex ad quem cuncta diligenter legit, perpendit, & considerat, simulque Testes & Instrumenta, si quæ a Partibus de novo producuntur, legitime examinet, prout

prout supra in Processu, & tandem consideratis cunctis considerandis Sententiam pro, vel contra Reum profert, v. g.

In Nomine Domini Amen.

526 Hæc est Sententia definitiva à Reverendissimo lata &c. In nomine Sanctissime & Individuæ Trinitatis, & B. V. Mariæ Amen.

Christi Jesu Sancto Nominè invocato, Nos NN. totius Ordinis N. Generalis, & Judex Ordinarius, visis & consideratis, ac acitatis in causa & causis discussis coram Patre N. Provinciali N. Provincie N. contra Fr. N. diffamatum, vel accusatum, vel judicialiter denuntiatum de &c. Exprimuntur delicta: visis item omnibus in Jure, & factis ad favorem dicti Rei productis: Vis à pariter sententia & definitiva contra ipsum lata: Visa tandem Appellatione apud nos introducta ipsiusque causis, Juribus, & probationibus pro ea sustinenda productis: Visa insuper responsione Judicis a quo desuper data: Visis tandem omnibus videndis, & consideratis considerandis, marisque discussis, per hæc nostra definitiva sententiam, quam in scriptis serimus.

Christi Jesu Sacratissimo Nominè repetito, ut de ipsius vultu nostrum judicium prodeat, dicimus, pronuntiamus, & declaramus a prefato P. N. Provinciali bene judicatum, & a Reo male appellatum: Quapropter sententiam latam confirmamus, Reum vero eodemmanus ad &c. vel male judicatum, & bene appellatum esse: Quapropter Reum absolvimus &c. Ita & omni meliori modo sententia ista lata, lecta, & publicata fuit, Die, Mensis, Anno, loco, &c. Ita pronuntiamus pro Tribunali sedente.

Ego N. Generalis.

Ego N. Secretarius Generalis.

Ego N. Tertius sui præfatus.

Ego N. Tertius interfuit.

527 Eodem modo proceditur, etiam si Reus Apostolos nonnulli refutatorius habeat, & Appellatio tanquam manifeste frivola per Judicem a quo rejecta sit; excepto, quod Judex ad quem, dum Judici a quo communicat Appellationem apud se introductam, una cum deductione ejusdem, simul non statim peccat Acta, sicut facit, si admittit Appellationem Reus Apostolos dimissoriales, & reverentiales habet, sed prius simpliciter mandat Judici a quo, ut responsum & informationem necessariam transmittat, principatiter autem causam alleget, quare Appellationem rejecerit: si enim causa rejectionis in Facto, & Jure manifeste legitima existit, necesse non amplius est petere, & lustrare Acta, sed potest & debet Judex ad quem ob eandem causam absque ulteriori Processu per Sententiam pariter rejicere Appellationem apud se introductam, & Sententiam Judicis a quo confirmare: quod idem fieri oportet, si Judex ad quem ex ipsa Appellatione introducta, & deductione ejus manifeste videt, Appellationem esse frivolam: Imò in hoc casu necesse non est, à Judice a quo responsum & informationem petere; hoc ipso, quòd, ut supponitur, ex ipsa Rei appellantis scriptura, consequenter ex propria illius confessione Appellatio aperte frivola dignoscatur. Et tali modo justè abbreviantur lites. Si vero ex Appellatione introducta, vel ex responsum & informatione Judicis a quo manifeste non appareat, quod Appellatio evidenter frivola sit, Acta per Judicem ad quem, vel Delegatum utique peti, & lustrari debent.

528 Potè hic notandum circa Ordinem nostrum, quòd licet in Practica Criminali Tit. III. Canones circa Recursum. §. VI. statuatur, ut facta Appel-

latione teneatur Judex a quo, ad Judicem ad quem appellatum est per ipsum Reum Copiam sigillatam, & gratis concessam, intra 30. dies cum literis Obdientialibus destinare &c. ac ne ante receptionem Actorum aliquid decernat: tamen textus iste plures patitur limitationes, præsertim in partibus à Judice ad quem remotis, uti est nostra Germania respectu Romæ, ubi Superiores Generales plerumque resident.

Siquidem I. Ob tantam distantiam, & divagationis pericula nunquam expedit, ut ipsi Rei appellantes in persona mittantur Romam, sed ut aliâ viâ securâ, Acta sigillata transmittantur illuc: vel potius, ut ante Actorum transmissionem rogetur Reverendissimus, quatenus Judicem delegatum in his partibus destinare, vel ad eum mittere dignetur, prout ad loc. cit. Pract. Criminal. bene observat Ludovicus de Ameno num. 44. In quo Reverendissimi Superiores Generales etiam propterea deferre deberent; quia in transmissione Actorum præter maximam incommoditatem, & laborem in transpositione Actorum è Germanico (in quo Rei hic interrogari, & respondere debent) in Latinum idioma, plerumque etiam est periculum, ne Acta perdantur, vel aperiantur maxime cum confusione Ordinis, & pecturâ justitiæ. Et hinc transmissio Actorum, quocumque viâ faciendâ merito differtur, donec sciatur, quid Generalis Superior rogatus resolvat, ne forsan cum duplici incommoditate & periculo mitantur, & remittantur.

II. Acta non transmittuntur, imò nec petuntur, quando Superior Generalis tanquam Judex ad quem, vel ex ipsa Appellatione introducta, vel ex informatione Judicis a quo evidenter videt, Appellationem esse manifeste frivolam, juxta dicta n. 527. Quibus accedit 31. Regula Juris in 6. dicens: Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet; consequenter si Reverendissimus Generalis aliâ viâ plenè certus est de invaliditate Appellationis, & justitiâ Sententiæ; ex Actis amplius certiorari non est necesse; præsertim cum alias non teneamur ad Apices Juris.

Cæterum ulterius notandum, quòd, si Ordina- rius Judex ad quem mittit ad partes h. s. vel delegat in his aliquem Judicem Delegatum, debeat is eodem, quo ipse Delegatus modo procedere. Videlicet creato Notario, & inchoato Processu ut supra num. 344. debet Appellationem introductam unâ cum fundamentis, & deductione illius communicare Judici a quo, eique mandare, ut responsum & informationem suam unâ cum Actis ei transmittat, juxta dicta num. 522. & 527. Quibus receptis cuncta lustrare & examinare, Testesque & Instrumenta (si erit necesse) legitime examinare, & tandem consideratis considerandis Sententiam ferre debet ut supra num. 526. si usque ad Sententiam inclusivè est delegatus; vel ad Superiorem delegatam, relationem super causa unâ cum voto, & opinione sua remittere, si usque ad Sententiam exclusivè delegatus sit. Quod ultimum etiam fit in casu, quo Ordinarius Judex ad quem aliis negotiis distractus, vel forsan in Jure minus peritus aut expertus quibusdam viris doctis committit revisionem, & cognitionem Actorum, & Processus, cum mandato, ut eidem desuper referant, vortumque & opinionem suam aperiant. Modum hujusmodi Relationis, vide apud Ludovicum de Ameno in Formul. Criminal. Sect. IX. num. XXXII.

Tandem notandum, quòd, si Reus inveniat, vel rationabiliter suspicetur, Acta sibi jam pridem data, vel Judici ad quem jam pridem missa, esse vitiosa, possit instare, ut cum Originali legitime

collationentur; cui Judex ad quem sive Ordinarius, sive delegatus deferre debet, & mandare, ut fiat collatio Actorum cum Originali citato & presente Patre, uno scilicet vel duobus confidentibus seu amicis Rei ab eodem nominatis, & loco ipsius tanquam Procuratoribus ejusdem assistentibus, ipsi collationi per Actuarium faciende: Qui dein in fine Actorum collationatorum se subscribunt, & restantur, prout inveniunt. Praxin hujus vide apud Ludovic. de Amen. loc. cit. n. XXIIV.

333 Ur autem iterum redeamus ad nostrum Processum contra Fr. Mævium institutum, & hactenus ventilatum.

Mævius ergo si Appellationem suam apud Reverendissimum Generale introducere, causasque & fundamenta pro illa sustinenda allegare voluisset, facere potuisset modò supra n. 523. allegato, quæ dein una cum causis communicari debuisset A. R. P. Provincialis tanquam judici à quo, addito mandato, ut de se responderet, præcipuè verò causam exprimeret, quare Appellationem rejecerit, juxta dicta n. 527.

A. R. P. Provincialis postea respondet, & causas rejectæ Appellationis allegat, ac contra causas appellantis refutare conatur, additis precibus, ut Reverendissimus quoque eam rejicere dignetur: idque facit modo supra n. 525. allegato.

Si accepta hæc responsione, vel ex ipsa Rei Appellationis introductione, in Facto, & Jure evidente, apparet, Appellationem esse manifestè frivolam, eam absque petitione & Illustratione Actorum statim rejicit, & Sententiam confirmat, juxta dicta num. 527. Si verò in Facto & Jure manifestè frivola non apparet, petit Acta, & format Processum juxta dicta num. 523. Et num. 527. vel causam delegat alteri, qui eodem modo ut Reverendissimus procedere debet juxta dicta num. 531. Et tandem causâ sufficienter & legitime examinata, fit Sententia juxta dicta num. 526. Quæ si in Ordine nostro contra Reum appellatam fit, tunc post verba, Bene judicatum, & male appellatum: additur; Quapropter Sententiam primæ instantiæ non tantum confirmamus, sed Reum ad penam duplicatam condemnamus conformiter statutis nostris Generalibus. Quod si pœna aliqua dupliciter non potest, v. g. perpetui carceris, addatur; Et quia perpetui carceres duplicari non possunt, volumus, ut loco duplicatae penæ singulis Septimanis ter in pane & aqua jejuset. Vel quid simile, dein fit clausula & subscriptio ut supra n. 526.

De Praxi formandi Processum per viam Denuntiationis Judicialis.

S U M M A R I U M.

- 534 Per viam Denuntiationis Processus ferè eodem modo fit ut per Accusationem.
- 535 Secundum aliquos est differentia: Et qualis?
- 536 Requisita ad Accusationem requiruntur etiam ad Denuntiationem verò judicialem.
- 537 Si Denuntiator debet non denuntiat, informari, vel sub juramento pro informatione examinari debet.
- Praxis hujus examinis. Ibid.
- 538 Consultus est accusare, quam denuntiare Judicialiter.

334 Q Useritur II. Qualiter in praxi institui, & formari possit, ac debeat Processus Criminalis per viam Denuntiationis judicialis? Resp. Eodem ferè modo, quo formatur per viam Accusationis, de quo huc usque diximus. Et ponitur tantum loco

Accusationis, vel Accusatoris, Nomen Denuntiationis, vel Denuntiatoris; quia Denuntiatio verè judicialis succedit Loco Accusationis, præsertim si Denuntians instat, ut Reus puniatur. Unde Practica nostra Criminalis Tit. Denuntiatio, §. III. vult, quod, si Denuntiator instat, ut Judex puniat (prout ordinariè fit, quin & fieri debet, si est verè & propriè Denuntiatio judicialis) Denuntiator etiam se inscribere, id est, ad probationem sub pœna Talionis se obligare debeat; quia censetur esse Accusator, & revera in effectu est.

Cæterum volunt aliqui, quòd Denuntiatio etiam judicialis ab Accusatione in nonnullis, modicis tamen differat; videlicet I. Quòd Denuntiator non necessariò se inscribat, nec ad penam Talionis, bene tamen Calumniam teneatur deficiens in probatione. De consuetudine tamen se subscribit Denuntiationi, vel litterarum ignavis Crucem format.

II. Quòd licet Denuntiator judicialis teneatur denominare testes, & alia suggerere probationis media; testes tamen hujus dein dicantur ex officio assumpti; quia in Denuntiatione non ipse Denuntiator probare dicitur, vel tenetur, sed tantum testes & media suggerere, quibus dein ex Officio Judex assumptus probationem facit; hinc quamvis factâ Denuntiatione Judex non ex mero Officio, sed ad instantiam Partis procedat; tamen adhuc ex Officio inquirere, & procedere dicitur.

III. Accusator debet citari ad audiendam Sententiam designativam, non item Denuntiator judicialis: sicut etiam ille, non ipse appellare potest, si Judex male, vel remisse judicet; quamvis alia dein contra Judicem agere valeat Denuntiator judicialis.

IV. Quòd Accusator juramentum Calumnie, Denuntiator Judicialis verò juramentum de dicenda veritate deponat; quamvis & hoc, juramentum Calumnie tacite includat; ut bene advertit Ludovicus de Ameno.

V. Volunt aliqui, quòd ad Processum viâ Denuntiationis judicialis influendum prærequirantur infamia, & probatio ejus. Verum, ut dictum, si Denuntiator instat, ut Reus puniatur, uti in vera judiciali Denuntiatione fit, evadit Accusator similis: specialiter autem notavimus, & probavimus §. 3. a num. 117. Infamiam, vel probationem ejus non requiri ad instituendum Processum viâ Denuntiationis judicialis.

Hinc eadem, quæ requiruntur ad Accusationem, 530 requiruntur etiam ad Denuntiationem verè judicialem, juxta dicta à num. 94. Potest etiam Libellus verè articulatus in Denuntiatione offerri, sicut in Accusatione, per dicta à num. 333. unde qui scire cupit, quomòdò Processus per Denuntiationem in praxi fieri debeat, videat dicta à n. 340. de praxi Processus per Accusationem.

Porro si Denuntiator Libellum informem reddidit, 537 vel Denuntiationem oretenus rite profess, Judex ex officio debet ipsum monere, ut Libellum rite formatum afferat, vel sub juramento ipsum examinare pro informatione necessaria, v. g. factâ creatione Notarii ut supra num. 344. & posito initio Processus n. 347. ponit Actuarius, ut sequitur.

Quoniam verò Denuntiator cum requisitis circumstantiis Denuntiationem non proposuit; hinc A. R. P. Provincialis eâ solùm acceptatâ si, Et in quantum Est. pro pleniori necessariis circumstantiarum informatione circa Factum, de quo denuntiavit, Denuntiatorem delato prius, Et ab eo prestitò juramento de dicenda veritate, Et consequenter, quòd animo calumniandi non denuntiaverit, examinavit, ut sequitur.

Interrogat. Unde sciat ea, qua denuntiavit? Resp. Et.

Inter-

Interrog. Quo tempore? quo loco? quibus presentibus?

Interrog. An ea viderit, vel ab aliis audierit? Item quando? ubi? quibus presentibus?

Interrogat. An fuerit insignitus ad denuntiandum? A quo? Quomòdò &c.

Interrogat. An non nominet Superiorem? Et de circumstantiis?

Interrogat. Quare tamdiu distulerit?

Interrogat. An quid aliud pro informatione dicere habeat?

Quibus & similibus interrogatoriis paucioribus aut pluribus pro exigentia circumstantiarum, & Denuntiationis ad necessariam informationem factis, concluditur examen.

Quibus auditis, Et respondenti selectis, cum ali-quid addere, vel minuire nollet, subscribere jussus est.

Ego Fr. N. affirmo ut supra.

Ego Fr. N. Minist. Provincialis.

Ego Fr. N. Actuarius.

Facto, sive omisso tali examine, fit dein examen Testium, constitutio Rei, defensio illius, Tortura, Sententia, Appellatio &c. uti in Accusatione, de quibus vide n. 340. usque ad n. 535.

539 Et ex his patet, eum, qui ex zelo Religionis desiderat, ut aliquis crimina ad exemplum aliorum & tollenda scandala, vindicta publica efficiantur, melius facere, si formaliter accuset, libellumque Accusationis offerat, quam si judicialiter tantum denuntiet: Tum ad evitandas controversias, quæ forsitan ratione Denuntiationis possent oriri: Tum ad evitandum odiosum sui examen supra numero 519. allegatum: Tum quia Accusator habet favorem; quem non habet Denuntiator etiam Judicialis: Tum etiam quia Accusatoris in probatione deficientis testes non sunt majores, quam Denuntiatoris judicialis; cum juxta dicta numer. 10. & dicenda Tit. seq. hic requiratur, ac ille subjaceat pœnis Calumnie; Talionis autem jam abierit in delictuodinem, juxta dicta num. 11. (apud nos tamen viget) Accedit, quòd Accusator deficiens in probatione, facillimè evadat pœnas, juxta dicenda num. seq.

Praxis formandi Processum Criminalem viâ Inquisitionis ex mero Officio.

S U M M A R I U M.

- 539 Processus viâ Inquisitionis plerumque etiam absque precedenti infamia fieri potest.
- 540 Quomòdò inchoetur?
- 541 Quando requiritur prævia infamia, non requiritur juridica probatio ejus: quamvis utilis sit.
- 542 Ubi prærequiritur infamia: quomòdò probari possit, ac debeat?
- 543 Si non constat de infamia, in casu, quo requiritur, ulterius contra Reum procedi non potest.
- 544 Examen Testium, constitutio Rei, Et alia sunt in Processu per Inquisitionem, sicut per Accusationem.
- 545 Excepto, quòd Testes super delicto non nude ac statim aperte de delicto, sed à longè, Et per ambages examinari debeant.
- 546 Praxis hujus.

539 S Upponitur ex dictis §. III. Quòd possit judicialiter institui Inquisitio, vel Generalis, vel mixta, vel specialis, Et specialis quidem plerumque etiam absque infamia non tantum, quando ad instantiam Partis, denuntiantis nempe, sed etiam quan-

do ex mero officio instituitur; præsertim si à sunt sufficientia indicia delicti ab aliquo commissi, vel si sic contra delicta cit. §. III. à n. 185. specificata. Quando itaque Judex viâ Inquisitionis Proc. 540 sum judicialiter instituitur, creat ante omnia Notarium ut supra, qui creatus statim inchoat scribere initium Processus, & annotat, qualis sit Processus; & qua occasione, vel causâ instituitur; puta, quia ex Visitatione Paternâ, vel aliunde Judex sufficientia indicia criminis ab aliquo commissi habet, vel quia fama est contra aliquem &c. v. g.

In Nomine Domini Amen.

Hic est Processus Criminalis, quem ex speciali Inquisitione ex mero Officio instituitur intendit A. R. P. Provincialis NN. contra Fr. NN. eò quod in Visitatione ordinaria habita (vel aliunde) plura contra eum emergerint indicia delicti N. ab eo commissi, prout amplius in Actis Visitationis. Quapropter, ne delicta manerent impunita, Officio suo satisfactorius decrevit super hoc informationes sumere, testes examinare, Et alia de iure præstare facere. Hinc me infra scriptum ad suam Camera, ubi Tribunal erexit, vocavit, Et in presentia Testium me in Notarium creavit Et. ut supra.

Notandum, quòd ubi indicia commissi ab aliquo criminis ad sunt, nulla prærequiritur infamia, multò minus probatio ejus ad instituendam Inquisitionem specialem.

Si autem indicia non ad sunt, nec est casus ex illis, de quibus §. III. à num. 186. utique prærequiritur infamia; quamvis non requiratur probatio ejus Juridica, sed sufficiat, quòd iudex extrajudicialiter constet de fama delicti ab aliquo commissi, prout amplius diximus cit. §. III. num. 192. ubi tamen num. 193. addimus, consultum esse, ut Judex creato Notario à probatione infamie incipiat Processum. Quando itaque sine indicis aliis ob solam famam vigentem instituitur viâ Processum, creatus Notarius ita incipit regitrare:

In Nomine Domini Amen.

Hic est Processus Criminalis, quem viâ Inquisitionis specialis ex Officio formate intendit contra Fr. NN. cum enim perveniret ad aures A. R. P. Provincialis communitatem extare sanam etiam apud graves, Et non malevolos Religiosos, Actum Fr. commissi N. (hic narratur delictum) Officio suo satisfacere volens decrevit, prout Juris, inquirere (si vult prius assumere probationem infamie, seu male fame, uti potest, sed non tenetur, addit) Et quidem inprimis super ipsa fama, hinc me infra scriptum Et.

Porro si à probatione infamie incipere vult, ab 542 illa post creatum Notarium incipit Processum, vocando successive saltem duos Testes, qui si de ea rite testentur, Judex pronuntiat constare de fama, v. g.

Consequenter idem A. R. P. Provincialis vocari coram se fecit P. NN. Testem ex Officio assumptum, qui prestitò prius juramento de dicenda veritate, Et factâ debita exhortatione respondit, ut sequitur.

Ad Generalia.

Interrogatus: Quomòdò vocetur? Resp. Et. & sunt interrogatoria Generalia, ut supra. n. 372.

Ad Specialia.

Interrogatus: An Fratres de Conventu bene ac exemplariter vivant? Et an de nullo mala fama vigeat? Resp. De Fr. N. viget non satis bona fama. Inter-

Interrog. Qualis fama? Resp. Dicitur de eo, quod &c.

Interrogat. Quis hoc dicat de eo? Resp. Est communis loquela in Conventu.

Interrogat. A quibus signanter audiverit? Resp. Audivi a P. Lectore N. a P. Concionatore N & P. N. &c.

Interrogat. An non sciat, vel audiverit, hos esse inimicos Fr. N. diffamati? Resp. Nec scio, nec audivi, eos ipsi contrarios; imò potius P. N. esse Fr. diffamati aliis specialem amicum.

Interrogat. Qua occasione, vel à quo ortum habeat hac mala fama? Resp. &c.

Interrogat. Quanto tempore jam vigeat hac fama? Resp. &c.

Quibus habitis &c. fit clausula & subscriptio ut supra n. 381.

Ego Fr. N. Testis ita deposui. Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Actuarius.

Similiter examinatur adhuc unus vel alter de fama, ut plene de ea constet, quo habito pronuntiat, constare de fama, v. g.

Considerandis considerandis Testium prefatorum Depositionibus A. R. P. Provincialis pronuntiavit constare de fama, decrevitque contra Fr. N. tanquam diffamatum ulterius, prout Juris procedere videtur. &c. Die &c.

Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Actuarius.

543 Quòd si fama rite non probata pateret in casu, quo requiritur ad specialem Inquisitionem, pronuntiat Judex non constare de fama, ac decrevit, non esse ulterius procedendum, v. g.

Consideratis depositionibus Testium videns A. R. P. Provincialis, quòd fama ortum habeat ab inimicis, vel factionariis, garrulis &c. vel non esse satis probata; & ipse Fr. N. apud viros probos, & prudentes non esse diffamatum &c. pronuntiavit, legitime non constare de mala fama, ac preterea ex illa ulterius non esse procedendum. Acta sunt hæc Die &c.

Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Actuarius.

544 Facto, vel omisso (prout omitti potest juxta dicta) Judiciali indagine de fama, procedit Judex ad probandum delictum, examinandos Testes super delicto, constituendum Reum, dandas eidem defensiones, Torturam illius, si necesse est, Sententiam &c. eodem modo, sicut in Processu per viam Accufationis instituto: Sciendum enim, quòd ad condemnandum aliquem, vel puniendum Judicialiter, non sufficit, extare de illo famam plenè probatam, sed debeat etiam probari ipsum delictum ab eo esse commissum, ut proin aliud sit probatio famæ, aliud probatio delicti.

545 Illud etiam specialiter notandum, quòd juxta dicta n. 375. quando instituitur Processus per viam Inquisitionis ex mero Officio, testes examinandi super delicto non possint statim nude ac simpliciter interrogari super delicto, v. g. An non sciat, à Laico fuisse occisum Sempronium, vel, An Titius commiserit fornicationem &c. Sicut fieri potest in Processu per viam Accufationis, vel Denuntiationis instituto, si Accusator, vel Denuntiator Judicialis libellum rite articulatum offert, juxta dicta n. 374. & 375. sed debet Judex absolutis interrogatoriis Generalibus interrogatoria Specialia ita proponere, ut non nisi à longè, & per ambages ince-

dat, donec ad ipsum delictum deveniat, & de ipso aperte interroget: quod etiam observare debet, si ipsum Reum examinat.

Modum & praxim Testes à longè examinandi super variis Criminibus habes apud Ludovicum de Ameno in Formul. Criminal. sect. IV. Nos unicum exemplum afferamus de hujusmodi examine Testis super furto.

Absolutis Generalibus interrogatoriis ut supra num. 372. Ad Specialia.

Interrogatus: An scias in hoc Conventu delictum aliquod esse commissum contra Legem Dei? Resp. Quantum audio, grave delictum esse commissum.

Interrog. Quale delictum sit commissum? Resp. Furtum calicis.

Interrogat. Ubi, & quando fuerit commissum? Resp. Ante editum è Sacristia.

Interrog. An sciat, qui furatus sit, vel saltem habeat aliqua indicia, vel suspicionem contra aliquem? Resp. Fr. N. furatus est.

Interrog. In causa scientia? Resp. Audivi ab aliis pro certo.

Interrog. A quibus audiverit? Resp. Ab N. N. N. Interrog. An ex his fuerit aliquis presens, & deprehenderit fuerit? Resp. Quantum audio Fr. N. ipsum vidit.

Tali modo vocat dein, & examinat alios, & precipue illos, qui Testes de visu, vel plura sive perhibent. Quòd si Testis aliquis à longè interrogatus delictum, & Delinquentem statim specificat, & speciem Facti narrat, non erit necesse alia interrogatoria per ambages facere, sed de causa scientiæ, contentibus, & aliis pro diversitate circumstantiarum examinare poterit.

Reliqua, ut jam dictum sicut in Processu per viam Accufationis instituto, de quo vide n. 240. & Elechem Rubricarum ad initium hujus Tit. & VII.

De Praxi instituendi Processum contra Delinquentem in presentia Judicis pro Tribunali sedentis, & Jurisdictionem exercentis.

SUMMARIUM.

547 Hic Processus paucis & breviter absolvitur.

548 Praxi, & forma hujus: si Reus delictum in presentia commissum fuerit.

549 Praxi, & forma illius, si negat.

550 Quomodo hic Processus statim in continenti fieri possit, expedit tamen, ut primum post unum, vel alterum diem fiat.

551 Sententia in hoc Processu quomodo fiat?

552 Potest apud nos fieri non petito consilio, vel consensu Diffinitorii.

Quæritur IV. Quomodo præctice institui, & 549 formari debeat Processus contra Delinquentem in presentia Judicis pro Tribunali sedentis, aut in actu seu exercitio Jurisdictionis suæ existentis? Resp. Si Reus in conspectu ipsius Judicis pro Tribunali sedentis, & Reum forsitan examinantis peccat, v. g. blasphematur, Judicem percussit, gravè calumniâ afficit, statim incipere, & finire potest Processum; in continenti, examinando ipsum, & sententiando tali modo. Actuarius ad mandatum Judicis sive Ordinarii, sive Delegati, incipit, ut sequitur.

In Nomine Domini Amen. &

Hic est Processus Criminalis contra Fr. Rusticum in conspectu Judicis pro Tribunali sedentis delinquentem. Cum

542 Cum A. R. P. Provincialis pro Tribunali sederet, & dictum Fr. Rusticum, testemque cum ipso confrontaret, ipse Reus timore Dei postposito, Testi aliam pariter, ipsum quoque Judicem aggressi tentavit, à me tamen, & Assessoribus impeditus fuit. Hinc A. R. P. Provincialis ad eum coerendum vocavit Lectorem Fr. N. & Fr. N. & Justitia satisfacere volens statim.

Interrogavit Reum: Quare ausus sis in conspectu sui Testem percussere? Resp. Quia mentitus est.

Dictum est ei, hoc resurre incertum. & dein certo existente, non debere ipsum vindictam sumere, sed Judici relinquere.

Interrog. Quare ausus sit ita blasphemare? Resp. Feci ex nimia iracundiâ.

Interrog. Quare ausus fuerit attentare, manus injicere ipsi Judici? Resp. Contigit mihi ex predominante iracundiâ.

Interrog. Quare non debeat condemnari in penam Ordinarium? Resp. Spero, A. R. P. Provincialis fore mihi propitium, eo, quòd præ ira vix mihi fuerim presens.

Notandum hic, quòd in Notoriis non interrogatur Reus, an commiserit delictum, cum de hoc notoriè constet, sed quare id fecerit? Et, si fateatur delictum, interrogatur, quare non debeat condemnari ad penam Ordinarium? Quibus absolutis condemnari potest ad penam delictis debitam, ita tamen, ut penam aliquam minuat, si causa invenitur, ratione cujus aliquam excusetur, uti esse potest vehemens passio iræ. Sententia autem fertur sine solemnitatibus, ut infra n. 551.

549 Si verò Reus delictum negaret, statim examinatur desuper illos, qui fuerunt presentes, v. g. Assesores delato prius, & prelitto ab eis juramento de dicenda veritate, v. g.

Cum autem Reus delictum palam in conspectu nostro commissum negaret: examinavit presentes Assesores delato eis prius juramento de dicenda veritate.

Ad Generalia.

Interrogatus: Quomodo vocerit? Resp. Vocor. &c.

Interrogat. Cujus ætatis, & conditionis existat? Resp. &c.

Interrog. An fuerit presens, quando Fr. Rusticus examinabatur? Resp. Ita.

Ad Specialia.

Interrogatus: Quid viderit, & audiverit à Fr. Rustico, dum examinabatur? Resp. Vidi, prob dolor! quòd A. R. Paternitatem voluerit aggredi, & Fr. N. Testi cum ipso confrontato inflixerit aliam: Audivi insuper horrendè blasphemantem, & quidem in specie &c.

Ita etiam interrogatur alius Assessor, si quis adfuit, Postea ad Reum convertere se potest Judex, & interrogare, ut sequitur.

Dein conversus A. R. Judex ad Reum, & ipsum interrogavit, quare non debeat modò condemnari? si respondendo adhuc negat delictum, non curet Judex, sed eum tanquam convictum condemnet.

550 Si autem ad hoc Interrogatorium responderet; ideo non possunt condemnari, quia hi Testes nil probant, cum sint mei inimici, vel quia non sunt omni exceptione majores, utpote jam olim perjurii inventi. Non curet Judex, si satis ei constat, Reum mentiri, & hæc tantum ad evadendam penam proponere: imò etsi de hoc non constet, sed dubium existat, nihilo minus pergat; nisi etiam rationabilem causam, & exceptionem contra ipsum quoque Judicem, & Actuarium proponeret; alius enim sola Judicis & Actuarii Actis inserta testificatio plenè contra Reum probat, per dicta n. 263. Pro majori

tamen securitate in casu, quo excipit contra Assesores, pergat ulterius interrogare.

Interrogatus Reus, quare non prius exceperit contra Assesores, modò testes; cum jam diu adfuit, & prius subscriperint ipso tacente? Resp. &c.

Dein dictum est ei, quòd etsi dato, non concessio, Assesores non essent omni exceptione majores, tamen ipse Judex, & ego Actuarius viderimus, & adprehendimus delinquentem ut supra.

Si ad hoc proponit contra Judicem, & Actuarium causam vel exceptionem aperte frivolam, aut falsam, contemnat, & ad condemnationem pergat; si verò dubiam aut apparentem, ulterius.

Interrog. Quare non prius exceperit contra Judicem, & me Actuarium; cum tamen aliquis jurisdictionis actus in ipsum jam exercerimus, ipsèque sese subjecerit, comparando, respondendo, jurando &c. Et quoniam ad hoc efficaciter respondere ordinariè non possit; fit Sententia non obstante negatione delicti à Reo commissi.

Porro si Reus coram Judice & Actuario solo, utpote Assesores forsitan non habentibus deliquit; tunc statim postquam interrogavit Reum, quare hoc delictum fecerit? & Reus fateatur, condemnet ipsum: si autem neget; jubeat ei prælegi delictum Actis jam insertum, & ad Reum conversus dicat.

Quomodo potest hoc negare, quòd coram me & Actuario fecit, Actisque propterea insertum est? Resp. &c. Dein interrogat ulterius: Quare non debeat condemnari ad penam ordinariam? Resp. &c. Postea condemnet eum ad correspondentem delicto penam.

Notandum hic, quòd quamvis Judex Reum in conspectu, & presentia sua delinquentem, statim in continenti, modo prædicto processare, & condemnare, ac punire valeat; tamen plerumque expedit, ut altera, vel tertia die id faciat; Tum ut maturius procedat: Tum ne ex passione, & precipitantia nimia agere videatur.

Cæterum necesse non est, ut Sententia cum requisitis aliis Juris solemnitatibus feratur: imò ad puniendum Reum coram Judice pro Tribunali sedente non requiritur vera formalis Sententia, sed sufficit, si per Decretum Judicis condemnatur, modo sequenti.

Cum Fr. Rusticus in causa Criminali constitutus, timore Dei postposito ausus fuerit in presentia A. R. P. Provincialis pro Tribunali sedentis Fr. N. testi aliam inspergere, & insuper graviter blasphemare, nec non aggressionem ipsius A. R. P. Provincialis temerariè attentare, prout in Actis continetur; hinc A. R. P. Provincialis decrevit, prout presenti Decreto decernit, quòd, quamvis vi Legum & Constitutionum nostrarum deberet (adducatur præter) sustinere, tamen quia ex fervore iracundiæ, & quidem aliquam indeliberatè deliquit, eum ad penam non nisi moderatas condemnare, ita, ut &c. (expriimitur poena sustinenda) sustinere debeat: prout illum de facto ad prefatas penas condemnavit. Acta sunt hæc Die. Mense. Anno. Loco &c.

Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Actuarius.

Si Assesores adsunt, etiam illi se subscribant. Decretum ita factum intimatur dein Reo per Actuarium, ac, quòd fit, Actis inseritur, v. g.

Memoratum, Decretum per me Actuarium Reo in presentia duorum Testium intimatum. & ab eo humiliter acceptum fuit. Acta sunt hæc Die. Mense. Anno. loco. &c.

Ego Fr. N. Actuarius. Ego Fr. N. interfui. Ego, Fr. N. presens fui.

Si Reus à tali Decreto appellaret, & Appellatio appareat frivola, rejiciatur, & Decretum executioni mandetur; salvo tamen effectu ejus devolutivo. Notandum hic specialiter pro Ordine nostro, quòd, licet aliàs apud nos nec Provinciales, nec alius Judex possit aliquem Reum absque consilio & consensu Diffinitorii per Sententiam, vel Decretum aliquod Sententiæ in effectu æquivalens (uti est positum num. 533.) ad pœnas debitas condemnare; tamen id possit in casu, quo Reus in præsentia Judicis pro Tribunali sedentis delinquit; ut bene advertit Ludovicus de Ameno in Prædic. Criminal. Tit. Inquisitio. §. 7. num. 37. ut proin hic casus sit exemptus, utpote in quo ex abrupto statim, & in continenti proceditur.

De Praxi formandi Processum contra delicta notorie commissa.

SUMMARIUM.

- 553 Quæ requirantur ad puniendum sine ordine Juris delictum notorie commissum?
554 Qualiter inchoetur hic Processus?
555 Testes in hoc non examinantur ad probandum delictum, sed super notorietate illius. Et quomodo?
556 Reus constituitur, & præcisè interrogatur, quare non debeat condemnari ad pœnam Ordinariam?
557 Quid si Reus in casu Notorii appeller?
558 In nostra Religione etiam in Notorii Sententia ferri non potest sine consilio & consensu Diffinitorii.
559 Forma Sententiæ in casu Notorii.

Suppositis iis, quæ §. 5. à num. 240. diximus, videlicet, quòd, licet delicta Notoria sine ordine, id est, non servato ordine Juris puniri valeant, tamen requiritur I. Ut delictum sit verè Notorium. II. Ut de Notorietate per testes legitime constet. III. Ut etiam constet de malitia Delinquentis. Et IV. Ut pro majori securitate prius censeatur, & audiatur Reus, ac Sententia saltem absque Juris solemnitate fiat, prout amplius loc. cit.

Notandum ad propositum, quòd est delictum in præsentia Judicis pro Tribunali sedentis, etiam reputetur inter Notorie commissa delicta, de eo hic non esse questionem, utpote de quo sub §. præced. diximus, sed de Notorio in absentia Judicis, vel pro Tribunali non sedentis, sed coram Communitate, aut majore, vel saltem tantà parte illius commissum, ut tergiversatione aliqua celari nequeat, consequenter verè Notorium sit, juxta dicta §. V. à n. 243.

In casu ergo, quo Notorium hujusmodi delictum quacunque viâ venit ad aures Judicis Regularis Ordinarii, Provincialis v. g. confert ipse se, vel delegat aliquem ad locum, ubi casus contigit, & unâ cum Actuario inquiri ibidem, an constet de Notorietate delicti, eaque habitâ pronuntiat constare de Notorietate delicti, & constituit Reum, ac puniit. Præxis est sequens.

In Nomine Domini Amen.

Hic est Processus Criminalis per viam Notorii contra Fr. N. Cum enim ad aures A. R. P. Provincialis modo fide digno pervenisset, præsentem Fratrem in publico Refectorio, vel in horto coram omnibus, vel majori parte, vel tot presentibus, temerariè ac malitiosè alapam infligere ausum esse, ita ut delictum à se commissum nulla tergiversatione celare, vel negare valeat, idèo A. R. P. Provincialis obligationi & iustitiam suo satisfactoriam contra memoratum Reum

per viam Notorii procedere, & informationes debitas super Notorietate sumere decrevit, meque properterea ad cameram suam, ubi Tribunal crevit, vocatum in præsentia Testium in Notarium crevit, ac juramentum de Officio fideliter exequendo detulit, quod etiam præstiti. Acta sunt hæc &c. Et subscriptus se Testes, Provinciales, & Notarius.

Notandum, quòd Testes non examinentur ad probandum delictum, sed ad probandam Notorietatem illius, v. g.

Vocatus, & ex officio assumptus fuit Testis Fr. N. qui præstato juramento de dicenda veritate deposuit, ut sequitur.

Ad Generalia.

Interrogatus: Quomodo vocetur? Resp. &c. Et sunt interrogatoria Generalia, ut supra num. 372. Quibus absolutus.

Ad Specialia.

Interrogatus: An sciat aliquod inconveniens, aut scandalum in Conventu esse commissum? Resp. &c.

Interrogat. Quomodo? quando? & ubi contigerit? Resp. &c.

Interrogat. In causa scientia? Resp. Ipsemet interseui.

Interrogat. De Contestibus, Resp. &c.

Interrogat. An hos jam sit publicum & Notorium? Resp. Ita.

Interrogat. Quid intelligat per Notorium & publicum? Resp. &c.

Quibus habitis &c. fit clausula ut supra.

Paciter examinatur alius Testis, quia dup saltem requiruntur ad probandum Notorietatem, quibus probat, & pronuntiat Judex constare de Notorietate, & decrevit, constituere Reum sequenti modo.

Consequenter A. R. P. Provincialis maturè consideratis Testium depositionibus, pronuntiat constare de Notorietate delicti asserti; proinde decrevit ad ulteriora procedere, prout Juris. Acta sunt hæc Die &c.

Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Actuarius.

Constito per Testes de Notorietate delicti, constituit Reum, eumque constitutum examinat, non de delicto commisso, quia jam Notorium supponitur, sed quare non debeat condemnari ad pœnam Ordinariam. Præxis est sequens.

Anno. Mense. Die &c. vocatus & constitutus fuit coram A. R. P. Provinciali præsentis Fr. N. qui, uti probatum in Actis habetur, Notorie infligit alapam Testi, conjuncte de statu suo monitum, prius ad effectum standi in Judicio ab excommunicatione absolutus cum reincidentia & non aliter, dem improperato ei delicto, quod timore Dei postposito Notorie perpetrare ausus sit, ipsum

Interrogat. Quare non deberet condemnari ad Ordinariam? Resp. &c.

Si delictum negaret, non curet Judex, sed pergat, v. g.

Fuit et delictum, quod non interrogetur, an delictum commiserit; de hoc enim, & Notorietate ejus jam plene constat: dicat ergo solummodo, quare non debeat condemnari ad pœnam Ordinariam? Resp. &c. Dein lectam depositionem subscribere jussus, ac commissus est.

Ego Fr. N. affirmo ut supra. Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Actuarius.

§. VIII. De Processu Criminali Regularium &c.

Si Reus appellaret forsitan allegando nullam vel fallam, vel frivola causam; decernat Judex Appellationem tanquam frivola rejicere, & Reum per Decretum, vel (quod melius ac securius est juxta dicta) per Sententiam ad pœnam debitam condemnare: si verò contra Testes tanquam sui inimicos exciperet, aut aliàs Notorietatem obfuscarer, vel ab eadem rite appellaret, deberet contra illum viâ juris ordinariâ procedi, ac petenti Patronus concedi.

Porro in Ordine nostro, antequam Sententiam contra Notorie delinquentem ferat, debet prius Acta communicare Diffinitorio, & nonnisi cum ejusdem consilio & consensu Sententiam ferre; quia apud nos nullus (exceptis solis delinquentibus in præsentia Judicis juxta dicta) Criminaliter condemnari, aut sententiarum potest sine consilio, & consensu Diffinitorii. Non videtur autem requiri, ut feratur & promulgetur in præsentia Diffinitorii, & aliæ solemnitates juris adhibeantur, quæ ad alias Sententias requiruntur; eò, quòd in casu Notorii delicti solemnitates juris non sunt necessariæ ad Sententiam, per dicta.

Sententia autem in Notorii ferri potest, ut sequitur.

Hoc est Sententia definitiva in causa Criminali per viam Notorii lata contra Fr. N.

In Nomine Individuæ &c. ut supra num. 500.

Christi Nomine repetito &c. Sententiamus, & dicimus, quod, cum Notorie constet, Fr. N. alapam &c. coram &c. infligisse Fratri N. viâ Notorii, consequenter absque Juris ordine puniri possit ac debeat. Quapropter ipsum ad pœnam à Statutis cap. §. num. impositam condemnamus, ut pro vi illius debeat &c. (specificatur pœna) si adesset causa minuendi, vel augendi pœnam, addatur. Ita hoc, & omni alio meliori modo Sententia hæc lata, lecta, & promulgata fuit, Die. Mense. Anno. loco. &c.

Ita pronuntiamus pro Tribunali sedentis. Fit subscriptio ut supra.

De Praxi formandi Processum contra Reum in Flagranti deprehensum.

SUMMARIUM.

- 560 Quotupliciter dicatur quis in Flagranti deprehensus?
561 Modus inchoandi Processum contra deprehensum in Flagranti ab ipso Superiore.
562 Examen Testium.
563 Constitutio, & examen Rei.
564 Sententia contra illum.
565 Modus formandi Processum contra Reum ab aliis in Flagranti deprehensum, & apprehensum, atque ad Superiorem ductum.

Constat ex dictis §. 5. à numer. 267. Triplici modo dici quem in Flagranti deprehendi. I. Si in præsentia Judicis pro Tribunali sedentis, aut Jurisdictionem exercens delinquit. II. Si Judex cum testibus ex Officio ei invigilat, & deprehendit. III. Si absente Judice ab uno vel pluribus, five ministris Justitiæ publicis, five aliis in actuali delicto deprehenditur, simulque apprehenditur, & statim ad Judicem ducitur, & interea custodiæ causâ incarcerationetur.

Qualiter praxis servanda sit circa primum modum, jam constat ex dictis à n. 529.

Circa secundum verò modum praxis sequens Reiffensuel Jus Can. Tom. V.

est. Videlicet primò Judex creat, & assumit Notarium pro Actuario. Dein examinat testes, qui cum ipso fuere. Postea constituit, & examinat Reum.

Præxis est sequens.

In Nomine Domini Amen.

Hic est Processus Criminalis ab A. R. P. N. formatus contra Fr. N. in Flagranti deprehensum. Cum enim ad præfati A. R. P. Provincialis aures pervenisset, Fr. N. solere &c. (ponatur Crimen, de quo est processandus) voluit in persona oculari testimonio se certificare. Idèo serò, Die. Mense, hora, ut asseritur, assumptis secum factis tanquam testibus P. F. N. & E. N. abscondit se in loco, ut commode observare, & videre, ac deprehendere posset reum, ubi post spatium contigit, (describatur factum cum circumstantiis) volens proin A. R. P. Provincialis satisfacere Officio suo, me ad se vocatum, in Notarium crevit coram Testibus, coram quibus etiam juramentum mihi detulit, & ego præstiti de Officio fideliter exequendo. Acta sunt hæc Die. Mense &c.

Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Testis. Ego Fr. N. Actuarius.

Facto taliter ipitio Processus vocantur dein, & examinantur juratò Testes, qui interfuere, dum Reus in delicto erat deprehensus. v. g. Consequenter vocavit Testem Fr. N. ex Officio assumptum, qui præstato prius juramento de dicenda veritate deposuit, ut sequitur.

Ad Generalia.

Interrogatus: Quomodo vocetur? Resp. &c. ut supra.

Ad Specialia.

Interrogatus: Ubi fuerit illo tempore? (quo videlicet cum Judice deprehenderit Reum) Resp. Fuit cum A. R. P. in loco N. &c.

Interrogatus: Quid videris, & audiveris ibi? Resp. &c.

Interrogat. In causa scientia? Resp. Intellectum &c.

Interrogat. An bene cuncta observaverit? Resp. Interrogat. Quid sentias de Fr. N. Reo videlicet? Resp. &c.

Quibus habitis &c. fit clausula & subscriptio solita. Et ita examinantur alii Testes, qui fuere presentes.

Finito examine constituitur, & examinatur Reus, ut sequitur.

Anno. Mense. Die vocatus, & coram A. R. P. Provinciali constitutus fuit Fr. N. ut supra in Flagranti deprehensus, qui de statu suo monitus, & jussus, juramentum de dicenda veritate deposuit (si delictum Excommunicationem secum trahat, absolvetur ab ea, ad effectum standi in Judicio, & cum reincidentia, addatur in Actis v. g. Ac postquam ab Excommunicatione standi in Judicio & non aliter fuit absolutus) responditque, ut sequitur.

Interrogatus: Quoties, vel quamdiu hoc scelus &c. committere ausus sit? Resp. &c. Si omnino negaret, se delictum commisit.

Interrogat. Nomen ab ipso A. R. P. Provinciali, & aliis NN. fuit in actuali scelere deprehensus, Resp. &c.

Possunt fieri etiam alia interrogatoria pro diveritate circumstantiarum, principaliter autem.

H Inter-

Interrogat. Quare non debeat condemnari ad penam Ordinariam? Resp. &c.

Si Reus pertinaciter perflisteret in negatione criminis, in quo fuit deprehensus, non attendat Judex, sed objurgat eum de temeritate, maliuolissimo perjurio &c. ipsumque urgat, ac etiam non contentum condemnet, utpote jam convictum, ita tamen, ut si petat Patronum, ei concedat, qui intra terminum assignandum proponenda proponat, quare non debeat ad penam Ordinariam condemnari.

364. Condemnatio autem per Decretum, vel Sententiam ita fieri potest.

In Nomine Sanctissime ad Individuum Trinitatis &c. ut supra numer. 500. Declaramus, sententiamus, & pronuntiamus, Fr. N. fuisse deprehensum in Flagranti delicto (hic describitur Factum circumstantiata) ac propterea esse puniendum iuxta tenorem SS. Canonum, & Statutorum Ordinis. Prout etiam eundem hujce condemnamus ad penam (ponitur pena infingenda addita causa minuendi vel augendi si minuatur, vel augetur.) Ita & omni meliori modo &c.

365. Circa tertium modum Judex primò creat, & assignat Notarium pro Actuario ut supra numer. 344. Dein examinat Telles super apprehensione, & delicto: & tandem constituit Reum, v. g.

In Nomine Domini Amen. Hic est Processus Criminalis ab A. R. P. Provinciali N. institutus contra Fr. N. in Flagranti deprehensum. Cum enim dictus Fr. N. ut ajunt, actu perpetraret crimen N. (quod hic describitur) ab aliquibus, videlicet N. & N. deprehensus, & apprehensus, atque ad A. R. P. Provinciale adductus esset, volens idem A. R. P. Provincialis procedere prout Juris, me infra scriptum vocavit, & in Notarium coram testibus creavit, creato detulit juramentum de fideliter exequendo officio, quod etiam prestiti. Acta sunt hec. Fit subscriptio solita Provincialis, Teltium, & Actuarii.

Postea statim vocavit, & ex officio assumpsit Fr. N. autem ex illis, qui dicebant deprehendisse & apprehendisse & adduxisse Reum; is prestitio juramento de dicenda veritate deposuit, ut sequitur.

Ad Generalia ut supra numer. 372. Ad Specialia.

Interrogatus: Quare apprehenderint, & adduxerint Reum ad Judicem? Resp. &c.

Interrogatus: In quo actu deprehenderint? Resp. &c.

Interrogat. Quando, & in quo loco? Resp. &c.

Interrogat. Quantum temporis inter delictum, & apprehensionem intervenerit? Resp. &c.

Interrogat. De testibus? Resp. &c.

Quibus habitis &c. fit communis clausula, & subscriptio.

Dein vocatur, constituitur, & examinatur Reus, ut sequitur.

Anno. Mense. Die. Loco. &c. ut supra mutatis mutandis.

Interrogat. Quomodo vocetur? Resp.

Interrogat. Cujus etatis & conditionis sit? Resp.

Interrogat. Quare fuerit incarceratus? Resp.

Interrogat. Ubi interea fuerit? Resp.

Interrogat. Quare non debeat condemnari ad penam? Resp. quibus dictis Reus dimissus, prius autem depositionem suam sibi prelectam subscribere jussus fuit.

Ego Fr. N. confirmo ut supra.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.

Ego Fr. N. Actuarius.

Si petit, conceditur ei Patronus, ut intra terminum ei assignandum producat, si que habeat, quare non debeat condemnari ad penam ordinariam.

Postea fit sententia, addita causa minuendi, vel augendi penam. Si minuatur, vel augetur, ut supra, numer. 500. mutatis mutandis: fitque subscriptio debita, & quidem apud nos A. R. P. Provincialis, & totius Diffinitorii, Actuarii, ac Teltium ad id rogatorum, ut delata, & promulgata Sententia testificetur.

TITULUS II.

De Calumniatoribus.

1. Ratio Continuationis.

Præcedentem Titulum de Accusationibus, De nuntiationibus, & Inquisitionibus recto ordine sequitur Titulus prærens de Calumniatoribus, eò, quòd isti non raro apparent in illis.

SUMMARIUM.

- 2 Calumnia. & Calumniator quid?
- 3 Calumniator presumitur, qui probare non potest delictum, de quo accusavit.
- 4 Vel denuntiavit Judicialiter alterum.
- 5 An? & quomodo præsumatur Calumniator denuntiare ex officio?
- 6 Pena Calumniatoris tam veri, quam præsumpti sunt, I. Quòd debeat refundere expensas litis.
- 7 II. Incurrit infamiam Juris post sententiam: & numer. seq.
- 9 III. Contrahit penam Talionis.
- 10 IV. Clericus Calumniator privatur Beneficio, & verberari potest.
- 11 V. Si Calumniator unius pene non est capax, ea mutari potest in aliam.
- 12 Reversentur varie causa, qua Accusatorem, vel Denuntiatorem in probatione deficientem à præsumptâ Calumniâ, & pennis ejus excusant, usque ad numer. 22.
- 22 Ut autem excusent, debent prius probari.
- 23 Dicte cause etiam excusant ab actione injuriarum, & numer. seq.
- 25 Si Accusatio caret omni culpa.
- 26 Præter Calumniam Accusatores etiam prævaricando, & tergiversando delinquant.
- 27 Prævaricatori quid?
- 28 Pena prævaricatoris.
- 29 Tergiversari quid?
- 30 Tergiversationis pene.

Quæritur I. Quid sit Calumnia? & quid Calumniator? Item quas penas incurrat? Resp. I. Calumnia est delictum, quo quis falsum crimen alteri in judicio scienter & dolose intendit, id est, contra alterum proponit. Calumniator verò est is ipse, qui hoc facit. Est in re communis arg. l. 1. §. ff. S. C. Turpil. Definitio ex terminis liquet. Solum notandus terminus in judicio intendit, seu proponit ad inveniendum, non illum solum, qui aliquem scienter falsò accusat, vel denuntiat, sed & quemcumque alium, qui falsum crimen in judicio contra alium proponit, Calumniatorem esse, pennisque subiacere, l. ab Accusatione 6. §. ff. si. ff. eod. ibi: Calumnia

in causa puniuntur, qui in fraudem alicujus librum, vel testimonium, aliudve quid acquisivisse, vel scripsisse, vel in judicium protulisse dicuntur.

Resp. II. Qui acculat alterum de crimine, quod probare non potest, hoc ipso Calumniator presumitur. Communis arg. c. 2. h. t. juncto can. Calumniator. 2. q. 3. ibi: Calumniator, si in Accusatione defecerit, Talionem recipit, & can. qui non 3. ead. cau. & q. ibi: qui non probaverit, quod objecit, penam quam intulerit ipse patiatur. Nam qui alium accusare, vel denuntiare vult, debet paratas habere probationes, l. qui accusare. C. de Edendo; hinc, si in probatione deficit, falsò, & dolose, sicque calumniosè litem movisse censetur, ut bene advertit Glossa communiter recepta in c. 2. h. t. §. calumniari; quamvis talis præsumptio non sit juris & de jure, consequenter adversus eam pro innocentia admittatur probatio. Abbas in cit. c. 2. h. t. & alii, patebitque ex dicendis à numer. 12.

Resp. III. Sicut qui accusat, sic etiam qui judicialiter, sed non ex officio denuntiat alium, Calumniator est, & præsumitur, pennisque Calumniatoris incurrit, si scienter falsè denuntiat, vel in probatione criminis intentati deficit. Clarus §. fin. quest. 7. numer. 12. Farinacius in Praxi Criminali. q. 16. numer. 15. & 17. cum comagui arg. l. Patronum. 10. ff. de Jure Patronat. ubi expresse cavetur: qui nomen detulit, accusasse censendus est. Ut proin Accusationis, & Denuntiationis effectus quoad penas (Talionis exceptâ) idem sint. Accedit clarus textus cit. c. 2. h. t. ubi Denuntiator tanquam Calumniator habetur, & punitur, donec Canonice suam purgaverit innocentiam, scilicet, quòd non calumniandi animo ad hujusmodi crimina proponenda processerit. Ubi etiam ratio subjungitur illis verbis: Ut ceteri simili pena perterriti ad infamiam suorum facile non prosiliant.

Dicitur autem notanter in Conclusionè: qui non ex officio denuntiat; qui enim ex officio denuntiant, Calumniatores non præsumuntur, nec Calumniatorum penas incurrant; est in probatione deficient, nisi scienter falsò denuntient, ut bene advertit Clarus §. fin. q. 7. numer. 12. Farinacius in Praxi Criminali. q. 16. numer. 17. cum communi. Ratio est; quia obligatio officii eos excusât à præsumptâ, non item à vera Calumnia.

Quæritur II. Que sint pene calumniatorum? Resp. esse plures. Patet inductione. Nam I. tenetur Calumniator Reo refundere expensas litis, & refarcire omne damnum eidem secutum. Farinacius in Praxi Criminali. quest. 16. à numer. 10. id tanquam certam regulam asserens, atque extendens non solum ad veros, sed etiam præsumptos Calumniatores, hoc est, in probatione deficientes, & merito; cum enim hanc sustinere debeant etiam, qui Civiliter accusant, & in probatione deficient; multò magis eidem subiacent Criminaliter accusantes, utpote qui ob majus periculum, cui subjicitur accusatus, majori cautela procedere debent. Menochius de Arbitr. casu 321. numer. 1. & seq. Clarus q. 62. numer. 4. cum communi arg. l. Tum quem. 79. ff. de Judiciis. l. Propterandum. 13. §. C. eod. c. Finem 5. de Dolo, cum concord. Hinc Carolus V. statuit, ut Accusator idoneam cautionem præstaret, quod delicto non probato, expensas litis refundere, & omnia damna secuta refarcire velit; Accusati autem iudicio relinquitor, num præterea apud Judicem Ordinarium, vel apud eum, coram quo Criminaliter fuit accusatus, pro his instare velit, Constituit. Criminali. arg. 12.

II. Calumniator incurrit infamiam Juris can. 1. cau. 2. q. 3. ibi: Siquis circa hujusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate hujus sanctionis Reiffentuel Jus Can. Tom. V.

intelligat se iacturam infamie sustinere, l. 1. & l. 4. §. 4. ff. de His, qui notantur infamia, junctâ l. Nofis. 8. C. h. t. quapropter evadit etiam irregularis, ita ut neque Ordines suscipere, neque susceptos exercere valeat, can. fin. dist. 5. cau. Infames. 172. cau. 6. q. 1. ac inhabilis ad Beneficia, ac Dignitates Ecclesiasticas, arg. c. Inter. 11. de Excess. Pralat.

Notandum tamen, hanc penam infamie non statim ipso jure, sed tunc primum incurri, postquam per sententiam tanquam Calumniator quis condemnatus est. arg. l. 4. §. 4. ff. de His, qui notantur infamia, ibi: Calumniator ita demum notatur, si fuerit calumnie causâ condemnatus, neque enim sufficit calumniatum. Hinc bene attendi debet ad verba judicis sententiam ferentis. Nam si quidem ita pronuntiaverit, non probati, pepercit ei: sin autem pronuntiaverit, calumniatus es, condemnavit eum, ut dicitur l. 1. §. 4. ff. ad S. C. Turpil.

III. Qui accusando evadunt Calumniatores, de jure incurunt penam Talionis, can. Calumniator. 1. cau. 2. q. 3. ibi: Calumniator; si in Accusatione defecerit, Talionem recipiat. can. qui non 3. ead. cau. & q. 1. fin. C. h. t. cum concordantibus. Et hec juxta jam dictâ Tit. præced. numer. 10. & seq. consuetudine contraria pena Talionis videatur abrogata, & in arbitriam commutata, tamen à Pio V. in Constitut. Chan. primum. que est ord. sine 5. inter Constitutiones dicti Pape, in Bullar. Chærub. denuo renovata saltem respectu verorum Calumniatorum, id est, illorum, qui innocentem scienter falsò accusasse confessi, vel convicti fuerint: vide Passerium in Tribunal. Regular. q. 7. u. 14.

Porro in Ordine nostro penam Talionis in Calumniatores etiam tantum præsumptos vi Statutorum adhuc locum habere, patet, cit. Tit. præced. numer. 12.

IV. Præter enumeratas penas Clericus alium Clericum calumniosè accusans, Beneficio, & Officio suo privari, & verberibus castigatus in exilium mitti potest, c. 1. h. t. ibi: Subdiaconatus, quo indignus fungitur, privari officio. & verberibus publicè castigatur in exilium deportari. Et quamvis verberatio Clerici per longam consuetudinem non amplius sit in usu, teste Claro §. fin. q. 70. nu. 2. tamen de Jure fieri potest; dummodo abque sanguinis effusione, & non enormiter, sed moderate fiat, Clarus loc. cit. Diana in Praxi Criminali.

Resp. II. Si Calumniator non est capax pene Talionis, debet ea commutari arbitrio Judicis in aliam proportionatam, arg. c. 1. h. t. ubi Subdiaconus in supplementum fuit verberatus, can. Juxta. 3. cau. 5. q. 6. & notant in cit. c. 1. h. t. Abbas in fine, Felinus u. 1. cum Glossa.

Quæritur III. An? & quando Accusator, vel Judicialis Denuntiator in probatione deficientis immunis sit à nota Calumnia præsumpta? Resp. I. Quandocumque iustâ causâ, vel errore probabili quis ductus accusat, vel denuntiat, tam à calumnia, quam pennis ejus immunis est. Communis ac certa, arg. l. 1. §. 3. ff. ad S. C. Turpil. Unde non statim ex eo, quòd quis in probatione deficiat, Calumnia, & pennis illius reus censeri, sed res prius discuti, & videri debet, quâ mente, vel quâ causâ ductus accusaverit; ut si appareat, iustâ causâ, vel errore id contigit, absolvi, sin minus, condemnari queat, ut expressè statuitur cit. l. 1. §. 3. ff. ad S. C. Turpil.

Resp. II. Quamvis arbitrio judicis relinquatur, quæ causâ sufficiens censenda sit ad excusandum à Calumnia, & pennis ejus, Accusatorem, vel Denuntiatorem in probatione deficientem, arg. cit. l. 1. §. 3. ff. ad S. C. Turpil. tamen dantur etiam quedam H 2 dam